





1659.

a, b

1. Beckman, Johann Volk. : De pactis adjectis
2. Beckman, Joh. Volk. : De incendio doloso et culposo
3. Beckman, Johann Volk. : De contractibus & calibus.
4. Beckman, Joh. Volk. : De Augusta.
5. Beckman, Joh. Volk. : De nuptiis
6. Beckmann, Joh. Volk. : De statu imperii Romani
7. Beckmann, Johann Volk. : De jure alimentandi
8. Beckman, Joh. Volk. : De servitutibus.
- 9^{a. t.} = Beyerus, Adrianus : De cadaveribus puni-
tum.
10. Bosius, Jo. Andreas : Julii Agricolae ortus, edu-
catio et studia
11. Reyer, Wolfgang Andreas : De infamia et ejus pro-
gandi modis
12. Richterius, Christophorus Philippus : De justa
morum sententia in proprium sanguinem

1659,

13. Richter, Christophorus Philippus : De quaestionibus. 2
14. Richter, Christophorus Philippus : De libellis. 25
15. Richter, Christophorus Philippus : De apostolis. 25
16. Schmidellius, Johannes : De servitii Tullii principatu. 26
17. Schroeterus, Emeritus Bidericus : De retroactione. 27
18. Schroeterus, Emeritus Bidericus : Theses juridicae;
ex Digestorum et Codicis libris, novellis, Constitutio-
nibus, jure canonico et recens. Imp. Desumptae. 27
19. Schroeterus, Emeritus Bidericus : De dispensatio-
nibus. 27
20. Strauchius, Johannes : De pignore legati seu facti. 3
21. Strauch, Georg Adamus : De jure aggraviandi sine
remissione veniali. ? Szentp. 1659? Theo
transmissione. 3
22. Strauchius, Johannes : De ~~transmissionibus~~. 3
23. Strauchius, Johannes : De Germanicae nationis
in hodiernis imperio Romano statu praesentibus. 3

1659.

24. Struvsius, Johannes : De transactionibus.
25. Struve, Georgius Adamus : De natura obligatio-

rum -
26. Struve, Georgius Adamus : De fluminibus. 2 Saempl. 1659
- 1766.

27. Struve, Georgius Adamus : De divisionis exceptione.
- 2 Saempl. 1659.

28. Struve, Georgius Adamus : De mutuo.

29. Struve, Georgius Adamus : Visentus . . . et priores

IV de libris.

30. Struve, Georgius Adamus : De publicis judiciis

31. Struvius, Georgius Adamus : De dividualitate.


32. Wistheim, Hatz Herbert, von : De repressalio

33. Worma, Georgius : De genio

onis

entia

477



DISPUTATIO JURIDICA

De

INCENDIO DO-
LOSO ET CUL-
2
1659, 2

POSO,

Quam

DIVINA ANNUENTE GRATIA

Et

*Magnifico Jctorum in Illustri Salanà ordine
suffragante*

P R Æ S I D E
V I R O

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. JOH. VOLK. *Bechman*/

J. U. D. famigeratissimo, Profess. Publ. Ordinario
longè meritissimo, Consiliario Saxonico, Curia Pro-
vincialis, Facultatis Juridicæ & Scabinatus Assessore
gravissimo,

Dn. Præceptore, Patrono ac Promotore suo summâ observantiâ
æternûm devenerando,

Publicæ eruditorum disquisitioni subicit

LEVINUS *Bindeman*/ Gardel. Marchicus,

A U T O R.

In Auditorio Jctorum

Ad d. Decemb.

JENÆ, Literis JOHANNIS NISII, clō lōc LIX.

DISPUTATIO JURIDICA

INCENDIO DO.

LOSO ET CUL.

POSO.

DIVINA ANNUNIENTE GRATIA

Magnifico J. Grotio in Illustri Saxonica Academia

Magistro

P R A E S I D E

V I C E

Magistro J. Grotio in Illustri Saxonica Academia

DN. JOH. VOLK. SCHMANN

J. U. D. famigeratissimo, Prof. Publ. Ordinatio

longe merito, Consilio Saxonice, Cancellario

Magistro J. Grotio in Illustri Saxonica Academia

Dr. Fructuosa Litterarum Saxonice Academiae

Magistro J. Grotio in Illustri Saxonica Academia

Magnifico J. Grotio in Illustri Saxonica Academia

J. EVINUS Saxonica Academiae

Magistro J. Grotio in Illustri Saxonica Academia

In Illustri Saxonica Academia

Magistro J. Grotio in Illustri Saxonica Academia

Magistro J. Grotio in Illustri Saxonica Academia





Q. D. B. V.

Peccatum à Modestino in *l. obligamus. §. 2. de Obl. & Action.* constituitur summum genus, cujus variæ dantur species, quas ex professô tractat noster Imperator in *ff. lib. XLVII. & sequ.* Hos ipse vocat duos terribiles libros, qui positi sunt de delictis privatis & extraordinariis nec non publicis criminibus, qui omnem continent severitatem, pœnarumq; atrocitatem *l. 2. §. 8. in med. C. de V. I. E.* Mihi in præsentiarum allibet unam tantùm attingere speciem, scilicet Incendium. Antequam autem illam tractationem ordiar, operæ pretium mihi visum fuit præmittere elegantissimum locum Aristotelis *l. 1. Eth. c. 10.* in quo principia & generalia fundamenta præcedentis materiæ continentur; Præ aliis versionibus mihi arridet Hugonis Grotii *lib. 2. c. 17. §. 2.* erudita translatio quam hoc loco subjiciã: Damni datio, *inquit*, tribus modis in hominum societate contingit, ea quæ ab ignorantia procedit, Infortunium dicitur, ut si quis egerit quidpiam, non in quem existimabat,
A aut

aut quod non putabat, aut non quo putabat modo, aut non tali fine, ut si quis se ferire non hoc instrumento, non hunc hominem, aut non hujus rei causâ credidit, sed evenit quod ipse non proposuerat sibi; puta, vellicare voluit, aut non vulnerare, aut non hunc non hoc modo. Ergò si ita præter id quod expectari potuit damnum detur, erit infortunium. At si ita ut expectari ac prævideri aliquo modo potuerit, sed non improbo animo, culpa erit aliqua, nam culpæ affinis est, qui in se habet agendi principium, qui verò extra infelix. At quoties id quod facit sciens facit, non tamen deliberatò, fatendum est adesse injuriam, ut quæ facere homines solent per iracundiam & perturbationes similes, aut naturales aut necessarias, nam qui irâ commoti lædunt, & culpam admittunt, ab injuriâ non vacant, neque tamen justî aut improbi dicuntur, at si quis idem consultò admittat, is verò improbus & injustus rectè nominabitur. Meritò igitur quæ per iram fiunt censentur non ex proviso fieri, non enim incipitis, qui ex irâ quid facit, sed is qui iram provocavit, atque eò fit, ut sæpè in judiciis rerum ejusmodi non facti sed legitima fiat quæstio, nascitur enim ira ex eo, quod quis injuriosè factum existimat. Non ergò sicut in Contractibus an
hoc

hoc factum sit disputant: ibi enim nisi quæ inter-
cesserit oblivio, omninò altera partium improba
est, quæ fidem non implet. Sed an justè factum
sit, quod factum est exquiri velint. At qui prior
struxit insidias nihil ignorans fecit, qua re non
mirum, si alter sibi injuriam factam putat, alter
non putat. Est tamen ut & qui tali ex causâ læ-
dit injustus censeretur, si nempe æqualitatis
aut proportionis normam excedat, quod repo-
nitur, sic justus est qui deliberatò justè agit, alio-
qui quis justè agere potest spontè tantùm, non
& deliberatò. Cœterùm eorum, quæ non spon-
tè fiunt, alia veniâ digna sunt alia minùs. Venia
digna, quæ non ab ignorantibus modò, sed & ob
ignorantiam fiunt: At si qua ab ignorantibus ad-
mittantur, nec tamen per ignorantiam, sed tali a-
nimi morbo, qui communes humanæ naturæ fi-
nes excedat, non digna sunt quibus ignoscas.

Ex quo lectu dignissimo loco satis evidēter pa-
tet, Damnum triplicē habere originem. Vel enim
1. oritur ex dolo, quod dolosum, vel 2. ex Culpâ,
quod culposum, vel 3. ex casu fortuito, quod casu-
ale vocari solet. *l. 23. de R. I. l. 11. de negot. gest.* Et hæc
etiã, uti patebit ex proximè proponendis, oc-
currunt in Incendio, cujus tractationem absque
ulteriori præloquio auspicabor. A Te autem,

A 2

Bene-

Benevole Lector, veniam & peto & exspecto,
quod hoc studii mei Tyrocinium ausus sim pu-
blicè tecum communicare, in quo scopum,
quem præspeculatus sum, fortè non semper te-
tigi. Tuam, ô Jehova, opem desidero & humil-
limè imploro.

THES. I.

DEscribi autem potest INCENDIUM DOLOSUM, quod
sit damnum alteri vel ejus rebus dolo malo ini-
micitiæ vel prædæ causâ illatum. Vel quod sit
perpetratio maligna, quâ quis malâ fide & ani-
mo ignem in alterius ædificia vel bona immittit, ut da-
mnum inde oriatur. Dividitur Incendium communi-
ter à Dd. in Casuale, Dolosum & Culposum. *arg. l. 11. ff.
de Incend. &c. Angel. Arerin. tractatu de maleficiis verb.
Incendiaro n. 1. & seq. Mynsing. cent. 6. obs. 88. n. 2. & seq.*
Omnes autem has tres species hîc exponere nec libet
nec licet. Ideoque sepositâ primâ reliquas duas tantum,
certas ob causas, breviter tractabo.

II.

Considerandum hic venit I. Subjectum, quod da-
mnum dat; Et sunt Personæ. Distinguuntur autem hæ
personæ, quod aliæ sint doli capaces, aliæ non. Constat
enim doli mali essentiam consistere in *αγαπέος* nocen-
di, ex proæresi autem agere est ex proposito agere *l. 11. §.
2. de pæn.* seu datâ operâ *l. fin. §. 1. de Incendio junct. l. 10.
ad L. Corn. de sicar.* vel ex voluntate *l. 14. d. t.* dolus e-
nim non potest esse absque facientis voluntate. Hinc
consequens est ubi non adest *αγαπέος* vel lædendi vo-
luntas, ibi nec dolus committi potest.

III. Ta-

III.

Talis proæresis & animus lædendi non est i. in Furiosis, Infanis, dementibus, quâ talibus. illos enim fati infelicitas excusat *l. 3. §. 1. de injur. l. 12. ad L. Corn. de Sicar. l. fin. de administrat. tutor. l. 40. de Reg. Jur.* Et hoc in tantum procedit, ut ne quidem extraordinariâ poenâ furiosus affici possit *arg. dd. ll.* Probandus tamen est furor, cum non præsumatur, vel ex dictis factisque infanis *l. 27. de condit. Instit. l. 23. §. sin autem. solut. matrim.* vel ex inordinato memoriæ statu aut infaniâ præcedente, adhibitis etiam interdum medicis, nam tanta est hominum malitia, ut post perpetratum delictum ad qualemcunq; prætextum furorem simulare soleant *Wes. ad tit. L. Corn. de Sic. n. 25.* In furioso certis intervallis tali an prædicta quoque locum haberent, dubitari possit, cum videatur firmius in eo esse animi iudicium. Dicendum tamen quod idem obtineat, si tempore furoris deliquerit, cum enim eo tempore non minus sensu careat ac perpetuò talis, nulla videtur esse diversitatis ratio. Si verò eo tempore, quo sanæ mentis fuerit, aliquid dolo admisserit, à poenâ non excusatur *l. 14. ff. de Off. Præs. d.*

IV.

II. In Infantibus & Infantia proximis, quos excusat consilii innocentia *l. 12. ad L. Corn. de Sic. l. 2. §. 19. vñ bon. rapt. l. 1. §. 32. de Scto Silan.* cum enim nec velle nec nolle habeant *l. 189. de R. J.* & usum rationis nondum adhibere possint, eos neque dolo aliquid facere, neque voluntatem lædendi habere posse rectè inferimus. Accipimus autem hîc infantem septem annis minorem. *l. 18. C. de jure deliber.* hæc enim ætas quicquid videt, ignorat *l. 1. C. de fals. monet.* An autem hoc ad pubertati proximos

mos quoque extendi possit Q? Et Dd. *d. l. 1.* Juris interpretatione ad eos quoque qui necdum doli capaces, & sunt pubertati proximi, h. e. decimum annum nondum egressi, extendi posse statuunt. Wesenbec. *loc. cit. n. eod.* Quod sanè æquissimum est, nam quoties in delicto minor est dolus, toties poena quoque minor esse debet Angel. Aret. *d. tract. verb. Scienter, n. 12.* Sed in minore, s. pubertate proximo non est tantus dolus, quantus in majore, mitius ergò rectè cum illis agitur. Wesenb. *d. l.* Idque in Ordinationibus quoque Imperii cautum esse videmus *P. H. D. art. 178.* ubi in minores non statuitur poena ordinaria. Alii relinquunt arbitrio prudentis judicis, qui id ex circumstantiis determinet. Zoësius *in Com. ad ff. tit. de Obl. & Act. n. 48.* hanc de re infra de poenis plura proponam.

V.

III. Neque proæresis neque dolus in iis est, qui ex negligentia & ignorantia agunt, hi enim solum culpam admittunt. Item in illis, qui ex repentino motu & animi perturbatione, non levi mentis judicio contraria agunt, ut iracundi, quod enim fit ex calore iracundia non fit ex animi judicio *l. 48. de R. J.* Quamvis ne vehementem quidem iram excusare posse videatur, cum licet ira quidem sit furor, non tamen omninò mentem auferat. Contrarium tamen omnibus ferè placet Dd. ita tamen, ut à poena quidem planè non excuset, sed tantum mitiget, cum consilium auferat ira, & factum minuat. Zoëf. *d. Com. tit. ad L. C. de Sic. n. 61.* Prædicta obtinent, si iracundia talis fuerit, quæ delinquentem à mente quodammodo alienaverit, aut si ex justâ causâ iraprovenit, vel si damnum irâ illâ adhuc durante & in continen-

tinenti, non verò ex intervallo datum fuerit. Theod. *Col. leg. crim. disp. 10. tb. 4. L. H.* Plura requisita recenset Gaius *lib. 2. obs. 106. n. 12.*

VI.

Hæc jam dicta stabilimus hoc solido argumento: Quicumque destituuntur usu rationis, nec habent perfectum & plenum animi iudicium, illi dolo damnum dare, & per consequens Incendium dolosum committere non possunt. Et subsumimus ex jam dictis: Atqui furiosus, Infans &c. destituuntur usu rationis &c. E. Vidimus jam quænam Personæ doli non sint capaces, ex quibus simul intelligemus, quænam ad dolum committendum sint habiles arg. *pr. Inst. de his qui sui vel al. juris.* Et patet nullos homines nisi quibus firmus animi sensus, perfectumque animi iudicium est, Incendii dolosi reos dici posse. Hi autem rursus vel ipsi propriis manibus damnum igne dant, vel alios ad immittendum ignem instigant. De quibus infra de pœnis pluribus dicetur.

VII.

OBJECTUM Incendium dolosum cum reliquis Incendiorum generibus commune habet, nempe res quaslibet combustibiles, sive mobiles sive immobiles, sive proprias sive alienas, quas omnes hoc loco enumerare velle, non diligentis sed otiosi foret. Notandum quod etiam in re propriâ Incendium dolosum committi possit, maximè si ignis eo animo appositus fuerit, ut per conflagrationem propriarum rerum, v. g. ædium, vicinorum quoque ædes unâ consumantur. Dn. Carpz. *Prax. Crim. p. 1. q. 38. n. 46.* Melioris tamen methodi gratiâ hæc res considerari possunt, ratione juris, quod in res privatas habemus. Et id à Dd. communiter duplex statuitur:

Aliud

Aliud in re, aliud ad rem, per *l. 19. l. 11. l. 13. §. 1. de damn. inf. l. 25. de O. & A.* Jus in re definiunt, quod sit facultas jure competens, quæ ipsi rei inhæret, adeoque actionem ipsam rem sine personæ obligatione persequentem, producens. *l. 25. de O. & A. & §. 1. Inst. de Action.* vocatur Germ. das dingliche Recht / oder dingliche Berechtigkeit. Statuitur hoc à nonnullis Dd. quintuplex 1. Dominium. 2. Servitus. 3. Pignus. 4. Jus hereditarium, & 5. Possessio *l. 13. §. 1. C. de judic.* Ab aliis tantum triplex. Jus ad rem definitur, quod sit facultas jure competens, quâ ad rem præstandam, h. e. dandum aliquid vel faciendum aut aliquando patiendum, personam ex facto suo obligatam habemus *l. 3. l. 25. de O. & A.* Horum itaque jurium respectu Incendium dolosum committitur vel in rem, cujus dominium plenum penes nos est, vel eam cujus usus nobis debetur, vel eam quam securitatis gratiâ ob debitum retinemus, sive eam quæ jure hæreditario aut successione ad nos perventura erat, aut etiam eam cujus dominium utile penes nos est, directum autem penes alterum.

VIII.

FORMA Incendii dolosi in eo maximè consistit, ut ignis ex proposito & deliberato animo atque adeò dolo immittatur. Is autem regulariter non præsumitur, sed ab accusante probandus venit, saltem ex indiciis & conjecturis, ut puta ex qualitate facti, temporis aut personarum. Prosp. Farin. *pract. crim. p. 3. q. 110. n. 6.* Berlich. *p. 4. conclus. 25.* Non sufficiunt autem ad talem probationem indicia aut conjecturæ quævis, sed ad minimum tales propter quas torturæ quis subjici potest. *P. H. D. art. 25.* nudæ enim & simplices conjecturæ aut præsumptiones neminem damnant. *l. 25. C. de probat. ubi Q. An is, quem fama*

fama fert ignem immisisse, ex solo rumore possit torturæ subjici? Quod negatur per communem Dd. regulam, quod fama per se non sufficiat ad decernendam quæstionem, cum indicia ex quibus decernenda venit quæstio, debeant esse certa & evidentia, fama autem sit fallax & plerumque originem ex levi causâ ducat. Sunt tamen qui existimant famam, maximè si vehemens sit, & ortum habeat à personis honestis & fide dignis, non levibus, sufficiens ad torturam indicium ponere, & si probetur duobus testibus integræ opinionis, moti *cap. qualiter ext. de Accusat.* Verùm utut hæc opinio uni vel alteri placeat, tutius tamen est asserere famam per se non sufficere ad torturam, ex eâ ratione quòd sit indicium valdè remotum à delicto, & satis fallax sæpiùs, atque ita nimis durum foret hominem tormentis subjicere ex nudâ famâ. *Zoesl. in Com. ad ff. tit. de question. n. 14.* Sed quid si is qui suspectus de Incendio fugiat, an fugiendo crimen confitetur, & ideò captus torturæ subjici potest? Certum quidem est ex fuga non leve contra fugientem oriri indicium, ut patet ex *Nov. 53. c. 4. §. 1.* an autem hæc tam magni momèri sint, ut exinde colligi possit probatio criminis, & ideò propter illâ quæstionibus subjici quis possit variæ sunt Dd. opiniones. Quidam id affirmant quos latè recenset *Farinac. d. l.* Aliis contrarium placet, eò quod fuga possit contingere ex causâ rationabili aut probabili. Distinguunt alii, an fuga ante inquisitionem formatam aut accusationem contigerit, an verò post eam. Posteriori casu nihil operari fugam contra fugientem statuunt. Priori casu tradunt non levem contra fugientem gigni præsumtionem delicti, illumque in

B

majo-

maiores sceleris admissi suspicionem cadere, ex hac ratione, quod non aliud possit videri ejusmodi fugam causasse, quam conscientia sceleris, & hoc casu quaestionibus subjici posse arbitrantur Zoef. *loc. all.*

IX.

Communiter autem pro sufficientibus in probando Incendio indicibus habentur haec, si quis vel clandestinè & occultè igneas faces, vel ignea tela, aliave fomenta ignem facilè concipientia domi suæ præparasse à quoquam visus fuerit, & paulò post præter spem in loco, ubi aliàs ignis ali non solitus, incendium exortum fuerit *Y. H. D. art. von heimlichen Brandt Berlich. loc. all.* nisi is qui accusatus liquidò probare possit, se eam materiam ad finem licitum destinasse *Zang. de tortur. c. 2. n. 69.* Item si quis cum suo vicino inimicitias gesserit, & brevi post incendium in vicini ædibus exortum alter se absentavit, & aliquandiu recessit, etiam præsumptio contra eum est, quod is incendium immiserit, & ob id torturæ subjici potest. Quidam tamen distinguunt inter inimicitias ortas ex causâ levi & ex causâ gravi, quod hoc casu ponant sufficiens indicium, non illo, nisi alia concurrant adminicula. Alii statuunt ne quidem capitales inimicitias, si alia desint adminicula sufficere ad torturam, cum ex eo solo nequeat quis argui sceleris reus, quod inimicus sit, *Zoef. d. l.*

X.

Minas quoque præcedentes sufficiens ad torturam indicium esse communis habet *Dd.* sententia, maximè si persona ea quæ minata, sit malæ famæ, aut aliàs solita exequi minas, sive tacitè sive expressè incendium minata sit, nihil interest. *Berlich. d. l.* Posset tamen dici, cum sæ-

pè

pè per iracundiam & lubricum linguæ proferantur ver-
ba, sine intentione exequendi *l. 7. ad L. Jul. Majest.* id ju-
dici considerandum relinqui posse, qui pensitet quo ani-
mo sint prolata minæ an ab iracundo, an sedato, an sint
absolutæ an conditionatæ, an delictum in continenti, an
verò ex intervallo secutum sit. *Zoef. d. l.* Propter hæc
itaque & similia ad torquendum sufficientia indicia, si
reus quæstionibus subjectus, & crimen in torturâ con-
fessus fuerit, poenâ LL. in ejusmodi incendiarios desti-
natâ afficitur, quod si post torturam iterum neget, denuò
torquendus est, quemadmodum nuperrimè pronuncia-
tum est à Nobilissimo Scabinatu Jenensi ad requisitio-
nem Johann Georg. Fischers zu Drackendorff 13. Maji
1659. Als ihr Uns die wider Georg Krisen ergangene
Inquisition acta fernerweit zugeschicket / und e. d. r. d. 26.
g. d. S. w. v. r. Hat Inquisit nochmals gestanden und bes-
kant / daß er an seines Stieffbruders Scheune Feuer anges-
leget / und dadurch eine erschreckliche Feuersbrunst verur-
sachet. Doferne er nun vor öffentlichen gehegten Gerichte
darbey beständig verbleiben wird / ist die in unserm vorigen
Urthel (*vide thes. 14. in fine*) albereit erkante Straffe des
Feuers an ihm zu exequiren. Solte er aber die That wie-
der leugnen / so ist er wieder in die Custodi und verhafft zu
bringen / und vermittelts anderweitigen tortur auff obgedach-
te Articul zu befragen. B. R. W.

XI.

Finem tanquam notorium præsupponimus. Transi-
mus autem ad Effectum, in quò explicando paulò latius
occupabimur. Poenæ in ejusmodi dolosi incendii au-
tores jure Civili variæ sunt constitutæ. Puniuntur enim
vel capite *l. ult. §. 1. ff. de incendio. &c. l. 10. ad L. Corn. de*

Sicar. Vel incendio aut ignis concrematione *l. 9. ff. de incendio;* Vel bestiarum dilaceratione *l. ult. §. 1. eod.* Vel deportatione *ibid.* Et hæ pœnæ, tum ratione facti, tum locorum, tum quoque pro personarum qualitate diversimodè infliguntur.

XII.

Quando enim Incendium committitur in civitate, vel oppido, & delinquens sive Incendiarius sit vilis persona, & domus aliudve ædificium, vel acervus frumenti juxta domum positus actualiter sit accensus, Incendiarius tunc dicitur igne comburi. *l. qui ades. 9. ff. de Incendio.* Et est ratio quare igne comburatur, nam cum incendium in civitate causando, quamplurimos periculo exponat, ut incauti vivi que in suis aut aliorum domibus comburantur, ideò æquum est, ut hic maleficus eadem absumat pœnâ quam aliis nequiter præparavit *arg. l. 9. ff. de Extraord. crimin. Damhoud. in prax. rer. crim. cap. 103. n. 5. Angel. Arctin. tract. malef. verb. Incendiario n. 22.* Sed si omnia prædicta quatuor concurrant, & incendiarius sit in aliquo gradu constitutus, & incendium est magnum, tunc non concrematur sed capite punitur; Si verò est parvum deportatur *l. ult. §. 1. de Incend. l. 28. §. 12. ff. de pœnis.* Quid si incendium fiat extra moenia civitatis vel castrorum & incendium magnum, & delinquentis persona in dignitatis vel status aliquo gradu sit posita, ut vita deberet ei ex benignâ dispensatione concedi? tunc deportatur *l. 12. de incend.* Si parvum est relegatur. At si Incendiarius est vilis persona & incendium magnum debet decapitari *l. 1. & l. 10. ad L. Corn de Sic.* Si incendium est parvum tantùm deportatur. Hæc ita Jure Civili obtinent.

XIII.

XIII.

Jure Canon. Si quis incendit Ecclesiam vel alium locum religiosum is ipso jure est excommunicatus *c. tua nos extra de sent. excom.* sepulturaque privatur *can. 32. c. 23. q. 8.* ubi Pontifex: Si quis malo studio sive pro odio sive pro vindictâ ignem apposuerit, aut apponi fecerit, aut appositoribus auxilium & consilium scienter tribuerit, excommunicetur, & si mortuus fuerit, Christianorum careat sepulturâ, nec absolvatur, nisi prius damno, cui intulit secundum facultatem resarcito, juret se ulterius ignem non appositurum. Nec ab hâc poenâ a quoquam nisi à Papâ absolvi potest, ut traditur in *c. ante alleg.* Si verò alium locum, non est excommunicatus, sed excommunicandus & damnum tenetur emendare. *c. tua nos. all.*

XIV.

Hodiernis moribus ex Constit. Criminali Caroli V. Imp. incendiarii ejusmodi dolosi ignis & flammaram supplicio afficiuntur, viviq; comburuntur. *P. H. S. art. 125. verbis.* Die boshafftigen überwundenen Brenner sollen mit dem Feuer vom Leben zum Tode gerichtet werden. Incendiarii enim, in Republ. perniciosissimi ante omnia è medio tollendi & ex humanâ societate extinguendi sunt, utpote qui nullâ utilitatis plecti ratione, sed solo odio, invidiâque ducti, bonum & commodum habitationis, quod natura provida sagaciter ad tutandos homines ab imbribus, ventis, tempestatibus & aliis cœli injuriis, excogitavit, aliis nequisimè eripiunt; Ideoque haut æquo ac justo gravius visum fuit Imperatori Carolo V. hanc atrocissimam poenam hujus horrendi criminis reis imponere. *Damhoud. loc. alleg.* Et hæc poena in quam-

multis locis etiam in Saxoniciis Provinciis incendiariis
hujusmodi dolosis dictari solet. Prout hoc sententia
nuperrimè contra Georg Krisen incendiarium (*qui propè
Jenam combustus fuit*) in prælaud. Collegio Salano *d. 6.
mensis Maji hujus anni* lata testatur; verbis: Als ihr uns
Inquisitiona Acta wider den verhofften Georg Krisen ergans
gen/fernerweit zugeschicket/und e. d. R. z. b. g. d. S. w. v. R.
Hat Inquisit gestanden und bekandt / daß er den 8. April.
des Abends/an seines Stieffbruders/Hans-Hundertmarcks
Scheune/zu Böllnis/Feuer geleet/und vorsehlich dadurch
eine grosse schädliche und erschreckliche Feuersbrunst verur
sachet. Doferne er nun vor öffentlich gehegtem Gerichte
bey dieser seiner Urgicht und Bekänntnis verharret/wird er
mit dem Feuer vom Leben zum Todte gebracht. V. R. W.

XV.

Nec distinguitur an Incendiarius nobilis & in di
gnitate constitutus, aut an plebejus, infimique subsellii
homo fuerit, dubitari tamen potest, An idem supplicii
genus in foeminas delinquentes statui possit? Et omninò
affirmamus, cum propter generalitatem textus in *d. art.
125.* tum propter identitatem rationis, quæ idem solet
constituere jus *l. 32. ff. ad L. Aquil.* Nullum enim est du
bium, quin foemina alterius ædes incendendo & com
burendo æquè graviter delinquat ac masculus, idem
namque damnum per eam atque per hunc infertur. Nec
criminis atrocitas admittit, ut excusationem aliquam
mereantur, nam incendium inter gravissima delicta re
fertur. Quid enim gravius & atrocius est, igne domos
aliorum accendere, unde tam grave oritur dispendium?
Neque sexus imbecillitas eas quicquam excusare pote
rit. Quamvis enim ptopter eam multis in jure nostro
gau-

gaudeant privilegiis, ea tamen ultra casus à jure expres-
sos non sunt extendenda. *l. ult. C. de jur. & fact. ignor.*

XVI.

An etiam Incendiariis ob leve saltem damnum da-
tum, & incendium quocunque loco excitatum hæc ignis
pœna dictari debeat, inter Dd. disceptatur? Quidam di-
stinguunt inter incendiarios simplices & temerarios, qui
vindictæ cupidi ex quâdam temeritate unius saltem hor-
rea, foenilia, stabula aliave ædificia, maximè propè viam
aliove loco solitario posita, nullo extincto homine
combusserunt; & inter Incendiarios famosos, qui vel ab
aliis mercede conducti vel emissi, vel proprio motu, ceu
diffidatores ob inimicitias privatas, toti communitati
damna minati sunt, minasque exequendo, incensis op-
pidis & pagis tam innocentibus quam nocentibus da-
mna dare laborârunt. Hos omninò sine ullo discrimi-
ne damni dati igne puniendos esse statuunt, idque non
solum ob gravitatem hujus incendii dolosi per se, tum
respectu communis societatis, ad quam planè subverten-
dam bonis deperditis directum est, tum respectu priva-
torum hominum, quorum sæpè numero magna multi-
tudo ad extremam immeritò planè redigitur paupertate-
m, tum denique respectu finis, qui non ut in aliis deli-
ctis vel commodum vel voluptatem aliquam expectat,
sed ex merâ invidiâ & nocendi libidine ad multorum in-
teritum tendit. *Danhoud pr. rer. crim. c. 103. n. 1.* Sed &
ob alia plura, quæ ibi concurrunt atrocia scelera, v. gr.
diffidationem homicidium &c. quæ singula per se sola
gravissimas mortis merentur pœnas. Illos verò simpli-
ces incendiarios ob incendium parvum excitatum, ex
quo nec homines perierunt, nec facilè perire potuerunt,
nec

nec item aliis vicinis damnum datum fuit, aut facile dari potuit, ultimo quidem supplicio, at mitiori gladii poenâ efficiendos esse existimant, tum quod in hisce malevolus homines pariter occidendi vel aliis infontibus nocendi animus cesser, & reliqua delicta in famosis illis concurrentia deficiant, tum quod de jure Civ. pro diversitate circumstantiarum loci scil. & damni inde secuti distinguatur *l. 28. §. 12. ff. de poenis.* Quæ quidem sententia, secundum jus Civile considerata, vera videtur, Contraria tamen hodiè magis recepta est. Non enim in infligendâ incendii poenâ qualitas loci aut domus combustæ consideranda est, sed potius damnum ex incendio imminens, ipsaque delicti atrocitas attendenda, quæ talem supplicii severitatem exposcit. Nam cum *d. art. 125.* generaliter loquatur absque ullâ aut loci aut facti limitatione, non minus ignis & flammaram supplicio dignus censetur, qui in casâ rusticâ aut tugurio, in villâ aut pago incendium ponit, ac is, qui Palatium in civitate igne comburit. Quam sententiam multis præjudiciis confirmat Dn. Carpz. *prax. crim. p. 1. q. 38. n. 34. & seqq.* ubi eum quoque qui horrea, aut stabulum incendit igne concrematum esse refert.

XVII.

Q. Num hæc poena quoque locum habeat in eo, qui attentavit quidem incendium, sed non consummavit? Posset videri quod sic. Nam cum incendium sit tale delictum, quod in perniciem Reip. & multorum hominum tendit, in ejusmodi autem delictis, quantumvis non sint consummata, tamen attentans punitur poenâ ordinariâ, perinde ac si essent consummata Damhoud. *prax. rerum crim. loc. alleg. & l. s. C. de Episc. & Clericis.*
Ve.

Verum cum non omnia delicta æquè gravia sint, ideirco neque conatus omnis æquè gravis videri potest, totumque hoc relinquendum potius arbitrio judicantis, qui pensitatis circumstantiis vel ordinariam vel mitiorem pœnam reo irrogare potest. Nam & L. Corn. incendiarium à sicario hâc parte secrevisse videtur, dum ad pœnam incendiarii requirit, ut dolo ejus malo incendium factum sit, ad pœnam sicarii ut vel hominem occiderit, vel hominis occidendi causâ cum telo ambulaverit *l. 1. ff. ad L. Corn. de sicar.* Vid. Anton. Matth. *de crimin.* Videtur tamen commodè distingui posse, aut enim incendiarius jam pervenit ad actum proximum, puta, materiam igni concipiendo aptam jamdum posuit & inflammavit, vel inflammaturus impeditus est; aut tantum pervenit ad actum remotum, si nempe materiam posuit quidem sed nondum inflammavit. Priori casu pœnam ordinariam ignis infligi posse Criminalistæ ferè omnes existimant, & ulterius extendunt, licet ædes nondum ardere cœperint, cum quoad incendiarios crimen incendii perfectum, licet ignis ædes nondum arripuerit, nam per eos non stat quo minùs res ad effectum ducatur. Carpzov. *I. F. p. 4. const. 17. def. 4.* Et de hoc casu intelligendi sunt Dd. cum & attentanti pœnam ordinariam dictitant. Posteriori casu mitiorem vel gladii vel fustigationis pœnam sufficere existimant. Dn. Carpz. *prax. crim. loc. alleg. n. 4.* Berlich. *p. 4. conclus. 24. n. 22. & seq.* Jure Saxonico res satis evidens est ex Novell. Augusti Elect. *Constit. 17. vers. Nach dem denn solche.*

XVIII.

An autem hæc pœna ordinaria in eo, qui incendium minatur verbis, daß er einem einen rothen Hahn auff's
C Haus

Haus sehen wolte/ locum habeat, dubitatur? Quidam talem simpliciter pro incendiario habent Damhoud. d. l. n. 10. Alii talem potius pro simplici minitatore habent, neque eum ordinariâ poenâ afficiendum, sed carceri includendum autumant donec sufficientem de non offendendo præstiterit cautionem Berlich. l. cit. n. 29. Distinguiamus cum Dd. nonnullis, aut enim is, qui minatur domi suæ remanet, aut se subducit & fortassis ad suspecta loca confugit, & eorum numero se associat, qui aliàs suspiciosi sunt. Si prius posterior sententia locum habere potest. Sin posterius si nempè aufugit minitator & capitur, eum quidem plectendum esse sed non ordinariâ poenâ censemus, P. H. D. art. 128.

XIX.

Nihil autem interest siue ipse quis ignem immiserit siue per alium immitti curaverit, nam uterque & Mandatarius siue Locator & Mandans poenâ ordinariâ merito afficitur. Illum quod attinet nullum est dubium, cum in delictis ob mandatum nemo excusetur. Præterea tale mandatum est rei turpis neque obligatorium, l. 6. §. 3. l. 12. §. 11. ff. Mand. ideò imputet sibi mandatarius, quod non perficiendum perfecit. Zoes. in Com. ad ff. tit. Mand. n. 9. Et gravius delinquere videtur qui lucri causâ operam suam ad perpetrationem tam horrendi criminis locat, quàm qui odio invidiavé agitatus id admittit, pretium enim siue merces interveniens regulariter delictum aggravat l. 11. §. 3. & 4. ff. de injur. Prædicta obtineat, si Locator promissionem factam adimpleverit; Cæteroquin si effectus haut fuerit secutus, h. e. incendiarius ad inflammandum conductus nec ignem posuerit, neque post initum contractum, datamque promissionem,

nem, amplius quidquam tentaverit, neutiquam ignis horrendo perimetur supplicio, sed aliâ adficietur poenâ, quia materiâ ad incendendum apta nondum positâ & inflammatâ haut perfectum & consummatum est crimen incendii per *d. super.*

XX.

Mandantem quod attinet, quia cum mandatario in pari est culpâ, ideò & ipse ordinariâ poenâ non liberabitur, nihil enim interest, utrum propriis manibus delictum quis committat, aut an auxiliante altero faciat *l. 169. de R. J. cum quod quis per alium facit, ipsemet facere censetur c. 72. de R. J. in Vltio.* Nec excusabit eum, quod offensio antea præcesserit, nequaquam enim inter modos legitimæ defensionis eum quis referret, quo quis alterius ædes incendit, præsertim si spatium aliquod intercesserit, nam si statim post illatam injuriam ex nimio iracundiæ calore animo ulciscendi modum defensionis excesserit, ordinaria poena meritò cessabit per dicta *in pr. disput.* difficillimum enim certè est iracundiæ calorem comprimere *l. 38. §. 8. Ad L. Jul. de adult.* Infantes & infantia proximos propterea quod doli non sint capaces, incendium dolosum committere non posse statuimus, ideoque hic eos etiam ex classe eorum, qui poenam, ob id admissum luunt, excludimus. De Pubertati proximis dubitabatur *in pr. ib. 4.* Dicendum tamen quamvis in minoribus interdum animus sit satis dolosus, & malitia non rarò suppleat ætatem, infirmitate tamen iudicii adhuc laborant, & sic minor eorum est perversitas, ideò licet minor ætas non in totum eos à delicto excuset, tantum tamen operatur, ut eos ab ordinariâ poenâ liberet. *l. 108. de R. J.* Quam sententiam etiam confirmat *Dn.*

Carpz. prax. crim. d. l. ubi juvenem quendam nobilem nondum 18. annos natum, qui patrem veneno necaverat, juris rigore mitigato, capite obtuncatum fuisse refert. De furiosis idem judicium esto per *d. sup. in th. 6.*

XXI.

Pergimus ad alteram incendii speciem, nempe eam cui culpa causam dat. Animus quidem erat hanc pariter cum superiore methodo tractare, verum cum tempore excludar, properandum est; ideo potissimas saltem controversias, quæ in praxi ut plurimum circa hoc incendium moveri solent, discutiam. Fundamenti loco præsuppono culpam esse triplicem latam levem & levissimam. Diversimodè igitur, pro triplici nimirum culpæ distinctione, incendium culpâ committi dicitur. Vel enim committitur Latâ vel Levi vel Levissimâ culpâ. Quos singulos modos breviter perlustrabimus. Latâ culpâ incendium committit is, qui talem curam in igne custodiendo non adhibet, quam quivis homo adhibere solet, vel qui per summam & dissolutam suam negligentiam aut luxuriam incendio causam præbet *l. 11. de incend.* Sic qui materiam igni concipiendo aptam v. c. stramen, foenum, aut simile quid, prope locum, in quo ignis quotidie ali solet, ponat, is in lata culpa est. Item si quis in stipulam aut spinam suam comburendæ ejus causa ignem die ventoso immiserit, & ignis ulterius evagatus vicini segetem aut vinum læserit, aut qui non observârit, ne ignis latius progrediretur, hujus culpæ reus est per *l. 30. §. 3. ad L. Aquil.* nam & is qui occasionem præbet, in culpa est. *l. ead.* Si vero die tranquillo aurâque placidâ immittat ignem, & postea ventus oriatur, qui ignem ulterius in vicini segetem inferat, dummodo debitam diligenti-

gen-

gentiam in avertendo aut extinguendo igne adhibuerit, culpâ vacat. *l. 30. §. 3. eod.* De poenâ hujus incendii lata culpa commissi, variæ extant Dd. opiniones propter textum in *l. 11. ff. de incend.* ex quâ lege quidem colligitur puniendum esse incendium latâ culpâ commissum, poena autem certa non exprimitur. Quidam poenam mortis infligendam statuunt, quorum opinionem tamen omnes ferè Neoterici rejiciunt, moti potissimum hac ratione, quia lata culpa non infamat. *§. ult. Inst. de susp. tutor.* E. multò minus poenam mortis inducet, neque stante hac opinione jura juribus concordarent. Alii poenâ quidem corporali, *v. g.* membri mutilatione, mitiore tamen quàm in doloso puniendum esse statuunt. Alii aliter, prout quamplurimas & varias hac de re Dd. opiniones latè recenset *Angel. Aretin. d. tract. n. 4.* Rectius nobis videntur facere illi, qui hoc casu poenam arbitrariam esse dicunt, ita ut judex pro qualitate facti poenam aliquam corporalem citra tamen mortem, vel poenam pecuniariam aut gravem aut leviozem imponat, idque probat *Farinac. q. 110. n. 18. in fin.* ubi dicit quendam, quod per jocum, atque sic latâ culpâ, ignem in duos larvatos stupâ indutos tripudiantes posuerat, qui penitus combusti fuissent, nisi eorum consocii ignem cum nive extinxissent, ad triremes per biennium fuisse condemnatum.

XXII.

Q. An incendiarius præter hanc poenam arbitrariam ad damni & interesse præstationem quoque teneatur? Et affirmatur per *l. 9. de incendio & c.* Nam ex quo vis delicto sive publico sive privato duplex judicium nasci, nec inchoato judicio criminali impediri quenquam, quò mi-

nus & civile instituat, tradit *l. ult. ff. de furt. & l. ult. ff. de privat. delict.* Limitatur tamen hæc regula, si actiones singulæ tendant ad diversos fines & altera *v. gr.* rem, altera verò poenam persequatur. *l. un. C. quando act. civ. crimin. præjud.* Quando enim ex uno facto plures competunt actiones, quæ non ad eundem finem tendunt, sed ad diversos, puta ad vindictam & rem familiarem damnumve datum persequendum, tunc una per alteram non tollitur. *Magnificus, Nobilissimus, Amplissimus & Consultissimus Dn. Christophorus Philippus Richter Jctus celeberrimus & Facult. Jurid. Ordinarius, Præceptor ac Promotor meus perpetim colendus in reg. juris, reg. 2. n. 46.* Secus si utraque ad vindictam tendat, tunc una alteram consumit. *l. 7. §. 1. de injur.* Ad emendationem autem interesse & damnorum hoc casu illatorum, item ad restitutionem rerum durante incendio ablatarum consequendam, plures dantur læso actiones. Potest enim agere vel ex Edicto Prætoris, vel actione furti, vel ex *L. Aquil. Farin. d. l.* Necesse autem est, ut agens probet quantum damni datum fuerit. *arg. §. 4. Inst. de legat.* quod si aliunde probari nequeat, potest fieri juramento in litem, *Berl. d. l.* vel damna & interesse à judice ad certam summam æstimari, & incendiarii conscientia vel juramento minorationis committi. *Idem d. l.* Hæc poenâ incendii latâ culpâ commissi afficitur quoque is, qui per ebrietatem incendio causam dedit. *Angel. d. l. n. 5. Dn. Carpzov. prax. crim. d. q. n. 37.* ubi Scabinos Lipsienses in casu, quo per ebrii cujusdam polentam torrefacientis vulgò *des Mälzers* supinam negligentiam incendium magnum exortum ita pronunciatum refert: *So wird der verhaßte Mälker N. N. wegen solches seines Unfleisses und Unachtsams*

sams

Samkeit / in deme er über gethane Verwahrung des Volls
sauffens sich beflissen / und dabey grossen Schaden verursa-
chet andern zum Exempel und Abscheu öffentlich billig zur
Staupe geschlagen / und nach ausgestandener Leibesstraffe
des Landes ewig verwiesen.

XXIII.

Levi culpâ committit incendium is, qui in haben-
do aut custodiendo igne non eam diligentiam adhibet,
quam quivis frugi & prudens paterfamilias ad eum mo-
dum quem hominum natura desiderat, rebus suis adhi-
bere solet *l. 11. ff. de peric. & com. rei vend.* Hujusmodi
incendii reus ad damni restitutionem, quin teneatur nul-
lum est dubium. Huic poenæ subjacent omnes qui ex na-
turâ contractus levem culpam præstant, ut venditores
ante rei venditæ traditionem, item conductores & inqui-
lini, si eorum culpâ incendium ortum fuerit. Sed quid,
si conductori inimicitia intercesserint cum alio & hic
ignem in domo conductoris ponat ex quo & domus
conducta & alia plures vicinorum ædes sunt combustæ,
an tunc conductor & domino & vicinis ad damni resti-
tutionem teneretur? Possent videri quod non, cum incon-
gruum sit, ut id quod præter voluntarem accidit, redun-
det nobis in periculum *c. dilectus ext. de homicid.* & quod
delictum alterius nemini nocere debeat *l. ob marit. culp.*
C. ne ux. pro marit. l. sanimus. C. de Pæn. Contraria ta-
men opinio à plerisque Dd recepta est, cum incendium
factum fuerit occasione inimicitia conductoris cum al-
tero ideoque rectè teneri eum ad emendationem *l. 25. §.*
4. ff. Locati. arg. l. 15. ad L. C. de Sicar. & nihil interest, an
culpâ conductoris, an verò non inimicitia ortæ fuerint,
is enim qui talem inimicitiam habet, debet suam do-
mum

num cautiùs custodire , vel pacem cum inimicis inire.
Berlich. d. l. n. 67. An autem vicini immediatè statim
conductorē convenire possint dubitatur? Ad quod dubi-
um respondet *Farinac. d. q. c. 2. n. 69.* quod vicini debe-
ant priùs agere contra autores incendii , & si contra eos
non possint habere regressum , tunc in subsidium & non
aliter agere debeant contra conductorem. Si verò ignis
immissus fuerit ab inimicis Locatoris, conductor absol-
vitur, cum non sit in culpâ, nec hoc casu Locator pensio-
nem à conductore exigere potest , sed ipse potiùs ad da-
mna conductori obligatus erit , cum incendium & da-
mnum inde secutum dicatur datum culpâ Locatoris, vel
saltem factum ad injuriam ipsius *Mascard. volum. 2. de*
Probat.

XXIV.

Q. An hujusmodi incendiarius præter restitutio-
nem damni aliâ poenâ corporali vel pecuniariâ fisco ap-
plicandâ affici possit? Quidam existimant, quod nullâ
poenâ criminaliter coërceri possit, sed tantum emenda-
tionem damni, quod si non possit emendare, luat in corpo-
re, & hanc sententiam probant *ex l. 9. de incend.* Verum
cum ille textus agat de culpâ levisimâ, quæ meritò cri-
minaliter non punitur, ideò hæc opinio subsistere ne-
quit. Alii distinguunt inter culpam levem consistentem
in omittendo & inter eam quæ consistit in committen-
do. Hanc non autem illam criminaliter puniri posse ar-
bitrantur. Quas tamen opiniones omnes rejicit *Berl.*
d. loc. & indistinctè sive culpa levis consistat in faciendo
sive in negligendo, incendiarium criminaliter seu pecu-
nialiter, ita ut pecunia fisco applicetur puniri posse sta-
tuit, atque ita verba criminaliter & pecunialiter pro iis-
dem

dem habet. Cujus sententia veritati quoque magis con-
sentanea esse videtur, quando enim multa fisco applica-
tur tunc poena non minus criminalis appellatur ac si cor-
poralis infligeretur. Sic actione injuriarum criminali-
ter instituta, reus nullam corporis afflictivam, sed tantum pec-
uniariam poenam fisco applicandam afficitur, & ideo nihilo-
minus criminalis actio dicitur. *Wesemb. in com. ad tit. de
Privat. delict. n. ult.* Quantitas autem hujus poenae relin-
quitur arbitrio judicis, nihil enim certi circa hanc poe-
nam in jure definitum est, ubi autem certi nihil determi-
natur, tunc illud arbitrio judicis relinquitur *l. 1. §. ult. ff.
de jure delib.* Quod si incendiarius damni emendatio-
nem, rerumque incendio absumptarum restitutionem,
aut poenam pecuniariam, forte ob rem angustam domi
solvere nequeat, modicam & leviori corporali castigatio-
ne puniri potest. Quemadmodum hoc testatur *Wesemb.
ad ff. tit. de incend.* ubi poenam relegationis dictatam ali-
cui refert. Ut autem haec praedictae poenae locum habeant
requiritur ut reus liquidis probationibus ab actore con-
victus fuerit, quod culpam ejus excitatum sit incendium,
alias ad damnum resarciendum non tenetur *arg. l. pen. ff.
de incend. l. 5. §. 4. commod. Schnobel. disp. ad ff. 7. n. 6. &
ad eum Nobilissimus, Amplissimus, Consultissimus, atque Ex-
cellentissimus Dn. Praeses Praeceptor atque Patronus meus &
aeternum devenerandus. in Colleg. Privato.*

XXV.

Levissimam culpam incendium committit is qui omi-
sit vel non fecit quod optimus, prudentissimus & dili-
gentissimus & maxime industrius paterfamilias non o-
missurus vel factururus fuisset, etsi is in rebus suis ut & alius
paterfam. bonus & diligens tale quid omittere vel facere

D

consue-

confueverit l. 18. ff. Commod. §. ult. inst. de societ. Berlich.
d. l. Punitur huiusmodi incendiarius solummodo dam-
ni incendio dati reparatione l. 9. h. t. l. 28. ff. de pæn. nulla
autem præter eam criminali pœnâ affici potest juxta o-
mnium Dd. fermè sententiam Farinac. d. l. n. 20. nisi quis
non fuerit solvendo tunc rectè pœnâ corporali mitiori
tamen afficitur l. 9. de incend. Ad emendationem damni
rectè quoque quis obligatur, etiamsi culpa levissima in-
omittendo fuerit. Non obstat, quod aliàs in L. Aquilia
tantùm culpa levissima quæ in faciendo, non ea quæ in-
omittendo est vindicetur l. 28. de pæn. nam lex incendiaria
diversa est à L. Aquiliâ l. 7. §. 13. de Pact. Wesenb. d. l. De
hoc incendio levissimâ culpâ exorto tenetur omnis qui
ad levissimæ culpæ præstationem obligatur. Berlich. d. l.

XXVI.

Quæri solet in genere circa incendium culposum.
An Dominus seu paterfam. teneatur ex incendio familiæ
seu domesticorû suorum? Quidam indistinctè affirmant
ex ratione, quod paterfamilias sit caput familiæ cujus im-
perio reliqui omnes obediunt, & ideò ejus culpæ videri
adscribendum, quod minorem quàm parerat, adhibue-
rit diligentiam, nisi absque suorum culpâ incendium or-
tum fuisse probare possit. Alii planè negant quos omnes
recenset Farin. d. q. c. 3. n. 111. & seq. Distingui-
mus potius aut de certâ & determinatâ personâ ex familia con-
stat, aut non. Priori casu Dominus non tenetur, postero-
ri casu tenetur paterfamilias de incendio in domo ejus
orto, quia in dubio præsumitur Dominus & paterfami-
lias adhibuisse minorem diligentiam, quàm debuit, præ-
terea, quod ad ipsum principaliter spectat diligentia &
custodia domus, & eorum quæ in domo sunt l. 27. §. 9. ff.

ad

ad L. Aquil. Rursus si persona jam apparet certa, subdi-
stinguitur, aut illa persona deliquit circa officium suum
demandatum, aut extra officium. Priori casu quin Do-
minus teneatur, nullum est dubium, nam cum inde sen-
tiant commodum, non iniquum erit ut quoque ferat in-
commodum §. 3. *inst. de Emt. Vend. l. 10. de Reg. juris. l. 15.*
§. 4. *ff. de legat. prastan.* Posteriori casu non tenetur pa-
terfamilias, uti expressè deciditur *in l. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil.*
Sunt tamen & casus nonnulli, ubi paterfam. ex incendio
levi culpâ domesticorum seu famulorum orto tenetur,
licet in officio non deliquerint, sed extra illud, puta quan-
do Dominus sciens famulum periculosum ebrietati ad-
dictum, malævè famæ rebus suis præficit *Berlich. d. l.*

XXVII.

Quæri quoque solet. An is qui vicini ædes demoli-
tur, incendii à suis avertendi causâ teneatur ad damni
præstationem? Negatur per expressum textum in *l. 49.*
§. *ult. ff. ad L. Aquil.* nulla enim ibi subest injuria, nam
demolitio talis spectat ad defensionem suarum ædium,
quæ jure permittitur *l. 8. §. 7. de incend.* Præterea is qui hoc
facit, justo metu ductus, ne ignis ad se perveniret, vicini
ædes diruit *l. 49. alleg.* Cum non solum præsentem vim
submovere liceat sed & impendentem, & ea quæ ex im-
provviso, casu & ex necessitate magis quàm fraude acci-
dunt, nunquam noxæ imputantur. *l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.*
Schot. Disp. 28. th. 7. Quidam volunt damnum resarcien-
dum esse à vicinis per *l. 1. & 2. ad L. Rhod. de iactu.* ubi
succurritur ei, cujus res missæ sunt per alios, quorum res
salvæ. Verùm diversa est ratio in illis, nam ibi idcò
reliqui tenentur, quòd omnium rerum æquale erat peri-
culum, ut non magis unius res fuerit mittenda quam al-

D 2

terius


terius atque ideo ei cuius res missa alias salvas fecit, succurritur. *Zæf. in Com. ff. ad L. Aquil. n. 16. in fin.* Si tamen ita convenerit inter vicinos ut si unius ædes ad conservationem totius viciniae diruendæ forent, reliqui damnum communi contributione restitutori essent, tunc merito damnum passus restitutionem, ex pacto petit *arg. l. 1. §. 6. ff. de pos. Schora. loc. alleg. n. 8.*

COROLLARIA

*Pleraque ex Collegio Pandectarum Privato Nobilissimi
Dn. Præsidis ad disputationes Schnobelii
desumpta*

- Q.** An liceat aliquem occidere pro defensione rerum suarum? Neg.
An *αυτοχρησία* de jure Civili Romano sit licita? N.
An populus Romanus in Principem potestatem contulerit cumulativè an abdicativè s. privativè? Dist.
An iudex debeat judicare secundum acta, ut vocant, & probata, an verò juxta conscientiam? Dist. Nobilissimus Dn. Præs. **Præs.**
An de jure Civ. nomen actionis in libello debeat exprimi? Aff.
An libellus & ante & post litis contestationem possit mutari? Affirm.
An remedium L. 2. C. de Resc. Vendit. etiam locum habeat in Transactione? Aff.
An Contractus metu initus, sit ipso jure nullus? Dist.
An minor habeat restitutionem in integrum si contractum invalidum jurejurando confirmavit? Neg.
An jus altiùs tollendi sit servitus? D.
An is qui quendam mortifero vulnere percussit, an ille qui postea illum examinaverit, teneatur de occiso an prior? Dist.
An sponsiones sint licitæ? Aff.
An Exceptio non numeratæ pecuniæ possit post biennium opponi, si debitor velit onus probandi in se suscipere? Aff.
An Perjurii de jure Civ. Rom. sit constituta poena? Aff.
An legati Impp. Regum Principum &c. sint soluti LL. civilibus seu purè positivis ceterorum, ad quos mittuntur? Aff.

FINIS.




ULB Halle 3
005 132 584



V017







DISPUTATIO JURIDICA
De
INCENDIO DO-
LOSO ET CUL-

POSO,

Quam
DIVINA ANNUENTE GRATIA

Et
Magnifico Jctorum in Illustri Salanà ordine
suffragante

P R Æ S I D E
V I R O

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. JOH. VOLK. *Bechman*/

J. U. D. famigeratissimo, Profess. Publ. Ordinario
longè meritissimo, Consiliario Saxonico, Curia Pro-
vincialis, Facultatis Juridicæ & Scabinatus Assessore
gravissimo,

Dn. Præceptore, Patrono ac Promotore suo summâ observantiâ
æternùm devenerando,

Publicæ eruditorum disquisitioni subjicit

LEVINUS *Bindeman*/ Gardel. Marchicus,

A U T O R.

In Auditorio Jctorum

Ad d. Decemb.

JENÆ, Literis JOHANNIS NISII, clc lcc LIX.